

cundum illud sapientie II<sup>o</sup> (20): Morte turpissima condempnemus eum. Et Ysa 53 (3) c<sup>o</sup> dicit de Christo paciente: Vidimus eum quasi despectum et novissimum virorum. Et ipse de se ipso paciente per prophetam in Psalmo (21, 7) dicit: Factus sum obprobrium hominum et objectio. Et Tren. III<sup>o</sup> (14): Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. Derisio igitur propheta (!) et canticum impiorum, de quibus Mt. 27 (40) scribitur, quod Christo pendente in cruce dixerunt Judei: Vaeh! qui destruit templum et in triduo reedificat illud. et sic de alys illusionibus. Cum igitur fideles sint filii Dei et heredes et coheredes Christi, ut dicit apostolus ad Rom. VIII. (17), ideo nullo modo licet. ut venerentur obprobrium ejus et per consequens neque crucem neque ymaginem crucis ejus etc.

Alia racio quia: si lignum crucis, in qua Christus mortuus est, esset venerandum, dum maxime hoc esset propter contactum (f. 413'a) sanctorum membrorum et sic simili modo omnia alia, que membris suis sanctissimis tetigit, essent veneranda. Ut asinus, quem in die Palmarum equitavit, mare et terra, in quibus ambulavit et sic de alys. Sed illa non venerantur nec venerari (debent?), quia hoc caderet in derisionem fidei katholice et illusionem fidelium. Nec crux hujusmodi venerari debet ex simili ratione et fundamento et cetera. Alia racio: Quia si lignum illud crucis, in quo Christus mortuus est, esset venerandum, hoc oporteret ei competere ratione alterius dignitatis et sanctitatis, quam a Christi membris et perfusione sanguinis pendentis in ipsam contraxisset. Sed hoc dicunt esse falsum et ridiculosum ac deceptionem simplicium propter duo motiva. Primum, quia Christus resurgendo et ascendendo totam sanctitatem suam assumpsit secum. Et per consequens nichil sanctitatis et veneracione dignum reliquit in ligno crucis. Secundum, quod est notabilius: Quia sanctitas, cum sit quedam spiritualis qualitas et proprius affectus gracie et virtutis meritorie aut gratuitate, ideo non potest fundari nisi in re rationali, ut in spiritu, qui est capax gracie et donorum gratuitorum et per consequens sanctitatis. Non igitur, ut inferunt turpiter, vere aliqua sanctitas in rebus corporalibus et ex consequenti nec in ligno crucis. Unde ex eodem fundamento derident dedicacionem ecclesiarum, benedictiones vestium et vasorum et aliorum, que ad divinum cultum precipue in officio misse requiruntur. Hic dampnatissimus articulus secundum declaracionem racionum, quas adducunt, includit errorem Vigilancy, qui, ut scribit (f. 413'b) Jeronimus contra Vigilancium et Augustinus in ecclesiasticis dogmatibus<sup>1)</sup> et in De civitate Dei, sanctorum reliquys et corporibus nullum voluit esse honorem tribuendum, dicens ridiculosum ac supersticiosum fore pulvillo et cineribus mortuorum aliquem honorem tribuere et precipue, cum hoc pertinent ad errorem gentilium, qui suis mortuis secundum statum et gradum honorem impendebant. Unde conferunt hoc heretici predicti, quod hoc Christiani, qui se fideles putant, incident in errorem gentilium, qui lignis et lapidibus et alys insensibilibus rebus, que nec habent motum, nec sensum nec se nec alias juvare possunt, honorem impendunt.

Quos Sap. XIII (18 sqq.) sapiens deridet in eo, quod res viles se significant et honorant. Illi enim, qui talia honorant, vitam tantum habent nature, cum sint mortales. Illa vero, que sic ab eis insensate

<sup>1)</sup> Pseudo-Aug. De eccl. dogm. c. 11 MSL XLII, 1219. In De civitate Dei wird Vigilantius, soviel ich weiß, nicht erwähnt.